

Glocestria
Duces.

equum se præbuit Sejanum. Thomam de *Woodstocke* Comitem *Buckinghamie*, filium natu minimum Regis Edwardi III Glocestria Ducis titulo primum evexit, statimque detruxit Rex ille Richardus Secundus. Illum enim magna molientem Caletum ex improvise abreptum plumbeo lecto injecto suffocari curavit, cum sub sua manu prius confessus fuisset (ut in Rotulis Parliamentariis habetur) se regiam auctoritatem extorto à Rege diplomate sibi arrogasse, ad Regem armatum accessisse, opprobriis lacerasse, viros doctos de fide renuncianda consuluisse, atque de Rege deturbando cogitasse. Ob quæ, jam mortuus Parliamentaria auctoritate læsæ Majestatis damnatus. Illo extincto, idem Rex Thomæ *Despenser* Comitis Glocestria titulum contulit, qui paulo post non meliori quam Hugo proavus fato, ab Henrico IV exturbatus, ignominiose degradatus, & Bristolie securi percussus. Secundum Glocestria Ducem creavit Humfredum fratrem Rex Henricus V, qui *Regum filius, frater, & patruus, Dux Glocestria, Comes Penbrochie, Magnus Anglie Camerarius* (his enim titulis usus est) de Republica & literis optime meritis fraude muliebri apud *S. Edmundi Burgum* sublatus. Tertius & ultimus erat Richardus frater Regis Edwardi IV, tertius, qui postea Richardi III nomine regnum, sublatis scelere nepotibus, occupavit, & post biennium justo prælio cum vita amisit; sensitque quod scelere quæsitæ potentia non sit diuturna.

Richardus
Tertius
Rex Anglia.

De hoc postremo Glocestria Duce, primisque ejus regni auspiciis liceat mihi Historici personam paulisper induere, quam & mox, quia satis tueri non possum, exuam. Cum ille regni *Prorector* jam declaratus nepotes suos Edwardum V Regem Anglia, & Richardum Ducem Eboraci tenellos in potestate haberet, regnum sibi aucupaturus benignitate in plurimos profusa, summa gravitate cum comitate singulari aspersa, solida prudentia, justitiæ æquabilitate, nec non subdolis artibus omnium omnino animos, præcipue autem juris-prudentum sibi conciliavit; & effecit ut nomine Ordinum regni supplex sibi exhiberetur libellus, quo maximopere contenderent, ut ad publicum Regni bonum & populi salutem regnum capefferet, patriam labentem exciperet, corruere non sineret, quæ (naturæ jure, & legum auctoritate proculcatis) bellis intestinis, rapinis, homicidiis, & nullo non miseriarum genere conflictata contabuerat, ex quo Edwardus IV frater ejus matrimonium infestum cum Elizabetha *Greii* vidua philtris pellectus, sine procerum assensu, sine matrimonii publicatione, clandestino, non in facie ecclesiæ, contra laudatissimam Ecclesiæ Anglicanæ consuetudinem contraxisset. Quodque gravius, cum jam antea ille sponsalia cum Domina *Aleanora Butler* Comitis Salopia filia præcontraxisset: unde illegitimas fuisse illas nuptias, & una liberos

ex illis procreatos illegitimos esse, & regni minime capaces certo certius constaret. Adhæc cum Georgius dux Clarentia frater Secundus Edwardi IV Parliamentaria auctoritate læsæ majestatis esset damnatus, ejusque liberi omni jure successione inde exclusi, nemini non comperitum esse, quod Richardus ipse solus & certus regni superesset hæres. Quem in Anglia natum Angliæ bono serio consulturum certo norunt, nec de ejus natalibus & *filiatione* dubitare possent: cujus etiam prudentiam, justitiam, animi magnitudinem, res belli fortissime pro Reipub. salute gestas, & regii generis splendorem, utique è regio Anglorum, Gallorum, & Hispanorum semine explorate perspicerent. Quare, his & hujusmodi, etiã atq; etiam diligenter perpensis, ipsum in Regem illo scripto, & uno omnium consensu libentes lubentesque elegerunt, precibusque & lachrymis prostrati ejus fidem implorantes obtectati sunt, ut regna Angliæ, Francia, & Hiberniam ipsi jure hæreditario, & ipsorum electione delata assumeret, & pro pietate patriæ jacenti salutarem dextram porrigeret. Omnem illi fidem, obsequium, studium prolixè polliciti, si faceret; sin minus, se ultima quæque experuros potius quam indignissimæ servitutis laqueos, quibus jam explicati erant, denuo subituros. Hic libellus supplex ipsi exhibitus priusquam regnum capefferet, postea etiam in publico ordinum regni conventu oblatus erat, & approbatus, & eorum auctoritate scitum & declaratum (congerie verborum ut affolet) jure divino, jure naturali, Angliæ legibus, & nunquam satis laudata consuetudine Richard. legitima electione, consecratione, & coronatione fuisse & esse Regem Angliæ, &c. indubitatum, & ad liberos ex ejus corpore prognatos regnum Angliæ, &c. jure spectare. Utque ex ipso autographo loquar, *authoritate Parlamenti pronuntiatum, decretum, & declaratum erat omnia & singula in prædicta Bulla contenta esse vera, & indubia, ac idem Dominus Rex de assensu trium Statuum regni, auctoritate prædicta pro vero & indubio pronuntiat, decernit, & declarat.* Hæc paulo fufius exposui, ut intelligatur quid & quanta Principis potentia, simulata virtus, luridicorum strophæ, spes blanda, timor sollicitus, novarum rerum studium, & speciosi obtentus in prudentissimo Ordinum regni conventu contra fas & jus efficere potuerint. Caterum hic Richardus non ut Galba capax imperii, nisi imperasset, habendus, qui omnium expectationem imperium natum fefellit: sed dignissimus regno nisi malis artibus, & scelere ad regnum grassatus esset, adeo ut inter malos viros sed bonos principes prudentum consensu fuerit connumeratus. Sed ego Chorographus deposita jam persona hæc historicis relinquo.

Paræcia 280 in hoc Comitatu comprehenduntur.